

Idem de sphinctere vesicæ existimare licet, si præter voluntatem vrina redditur. Etenim uterque musculus duplici facultate præditus est, nempe animali & naturali. Sic membra respirationi feruientia tum malè affici dicimus, cum vox, aut respiratio læditur. Ipsa autem membra sunt, thoracis musculi, septum transuersum, octo musculi epigastrij, pulmo, & trachea arteria. Ac atrophia, hoc est totius corporis macies, nutritionis organa malè affici significat. Hæc autem sunt, ventriculus, mesaræum, intestina, iecur, lien & venæ omnes: quorum omnium singula tum valere existimamus, cum probè suo munere funguntur. Quare, suppressis alui excrementis, vel musculus aliquis epigastrij, vel intestinum aliquod, vel denique septum transuersum malè afficitur.

*Ab excrementis sedes affectas, & affectus deprehendi.*

C A P. II.

**E**Xcrementa non solum ipsa membra è quibus deiiciuntur, sed etiam affectus præter naturam significant. Excrementorum nomine ea intelliguntur, quæ tum ipsarum sedium essentia sunt, tum etiam aliena, atque tandem alia quæcunque præter naturam

naturam